

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Dissertationem Moralem De Norma Actionum Humanarum
Indultu Facultatis Inclytiae Philosophicae In Celeberrima
Academia Lipsiensi die VII. Maii Ann. MDCXCIIIX. H. L. Q.
C. sub Praesidio Dn. M. Joh. ...**

Lipsiae, 1698

§. II

urn:nbn:de:bsz:31-102642

eam partem inclinare, vel saltem inclinare debere; quæ inclinatio tamen non confundenda cum illis vergentiis, quæ voluntatem sèpè ad certum genus actionum propendere faciunt, & quæ à consuetudine, peculiari temperamento, affectibusque procedunt. Illæ enim efficiunt in voluntate propensionem physicam; hæc autem moralis; quæ moralis propensio videtur consistere in peculiari sensu & motu voluntatis, quo laudem quisq; appetit, & lætatur, se obligationi incumbenti convenienter agere; & contrà stimulos conscientiæ sentit, & propriam veluti in se censuram exercet, cùm seculis, quām obligatio postulat, fecit. Unde & illud sequitur, si quid fortasse mali actionem obligationi incumbenti disformiter institutam excipiat, nullam agenti de eo conquerendi justam rationem esse, cùm in ejus fuerit arbitrio, in alteram i.e. & bonam partem determinare. Voces itaque illæ in definitione posita, *vinculum, adstringi, respiciunt impulsum peculiarem in voluntate, quo ad determinandum se in eam partem, quam obligatio monstrat, spe laudis & præmii movetur, à contraria autem metu vituperii & poena refutat.* Conf. *Pufend. d. J. N. & G. I. VI. §. 5.* & *d. Offic. Hom. & Civ. L. I. c. II. §. 5.* Et cùm haec modò explicata obligationis definitione coincidit illa, quam exhibet *Justinian. pr. I. d. Obligat.* quod nimirū sit juris *vinculum, quō necessitate adstringimur alicuius rei solvendæ secundum nostræ civitatis jura;* Nisi quod non descripsisse videtur obligationem in sua latitudine; sed eam solam, quæ ex vinculo jurim specialium, nimirum civitatis Romanæ originatur; illam autem *Pufend.* passim inculcat; cùm obligationem vult esse qualitatem moralem operativam, quā quis præstare, aut admittere, vel pati tenetur aliquid.

§. II.

Hæc de natura obligationis, cuius originem priusquam excutiamus, libet *subjectum* considerare, utpote cuius aliquam cognitionem originis perceptio supponere videtur. Et prius quidem est, ut agamus de *subjecto recipiente obligationem seu passivo.* Id vero homo est. Hunc enim aptum ad obligationem recipiendam esse, dupli potissimum argumento evincimus. (1.) Ex natura voluntatis humanæ, (2.) ex conditione hominis, ab ejus productione pen-

pendente. Nimirum primò ad hoc, ut alicui subjecto obligatio impingatur, requiritur, *ut id non sit ad uniformem agendi modum ex intrinseca necessitate determinatum.* Nam & astum ageret, qui tale subjectum ad eum agendi modum, in quem suā naturā fertur, impositā obligatione adigere vellet, & supervacaneum laborem susipereret, qui per novam obligationem alium operandi modum præscribere conaretur, quād ad quem intrinsecā & immutabili naturā necessitate determinatum est. Jam verò si ad naturam hominis probè attendamus, deprehendimus, ipsum mobili quadam, & in omnes partes flexili facultate, voluntate nimirum, esse prædictum, quæ voluntas sibi relicta modò hoc, modò aliud objectum appetit, modò in hanc, modò in contrariam partem inclinat. Quamobrem laxæ huic libertati frænum veluti quoddam potest injici, certisque limitibus coerceri tam latè patens arbitrium; coercitio verò talis seu limitatio nihil aliud est, quād obligationis impositione, quæ voluntatem ad certum genus actionum morali impulsu movere debet. Neque verò sufficit, subjectum aptum esse suā naturā ad obligationem recipiendam, sed requiritur præterea, ut adsit extrinsecum quoddam principium, aptum, ut illius subjecti voluntati injicere vinculum obligationis possit. Ex quo consequitur; alterum subjecti obligationis passivi requisitum esse, *ut superiorem agnoscat*, inidoneum ad eam recipiendam futurum, siquidem omni majori potestati exemptum degeret. Utut enim fortassis ad certum genus actionum per liberam voluntatis electionem se determinaret, inqve eo proposito constanter perseveraret, neutiquam tamen dici possent illi actus ab obligatione proficisci; cùm voluntatem ad tales actiones uniformiter producendas vel nihil planè impelleret; vel, si quid impelleret, id physicum aliquid, non morale foret. Cùm verò jam conditionem hominis perpendiculariter, facile nobis liquet, cùm eum à summo aliquo & potentissimo Ente, primò nempe rerum omnium Motore productum esse constet, utut in socialitate alii homini subjectus non degat, saltem tamen perpetuo hanc ejus causam, Creatorem, eo superiorem esse. E contrario autem manifestum est, quamvis DEUS sit Etsi liberrimum, obligari tamē eum non posse, quia superiorē non habet; cætera autem

præ-

præter hominem animalia utū aliorum potestati subsint, tamen propterè obligationis capacia non esse, quod voluntate carent, & ad uniformem operandi modum intrinseco impulsu adiguntur.

§. III.

Ad *subjectum obligationis activum* nunc progredimur. Hujus requisita diversa à diversis Autoribus solent constitui. Multis placet, ejus aptitudinem seu capacitatem in sola *eminentia naturae* ponere, ita, ut qui præstantiorem acceperit naturam, minus præstanti suo jure obligationem injungere possit. Verum nullum hic ego nexus video. Illud certè verum est, quem excellentiōbus natura donis instruxit, cum feliciori successu negotia obire, & suas actiones majori consilio atque prudentia dirigere posse. Non autem propterè potestatem sibi arrogare in aliud poterit, in quem donis suis parca natura fuit; cùm saltē tantum luminis ipsi superesse queat, ut quomodo cunque componere & regere suos actus possit. Quid enim, si is, cuius angustior natura est, tamen sibi confidat, & independenter suis actionibus praesesse velit? Nihil sane causæ erit, cur is, qui præstantiorem naturam nactus est, repugnet; cùm inter perfectionem minorem, & dependentiam, vel subordinatiōnem, nexus necessarium docere non possit. vid. *Aristot. in Polit. precipue Libr. I. cap. 3. & 4. Grot. d. J. B. & P. II. 20. 40. & II. 22. 12. Adam. Contzen. Polit. Lib. 10. c. 8. §. 2.* Ethinc est in hominibus etiam in bruta imperium solam οὐρανὸν naturæ haud inferre. Quicquid enim potestatis homo in bruta exercet, id non procedit ab aliqua in brutis obligatione, qualis in ipsa nulla cadit, sed à mera vi, & per frequens actuum parendi exercitium, accidente stabuli illecebri, in ipsis contractâ consuetudine. Ex quo apparet, nihil naturæ contrarium ea molitura esse, si vi aut fugâ imperio se hominis subductum irent. Alii sunt, qui juri imperandi, & obligationem in alterum introducendi pro fundamento solam potentiam substerunt; inter quos imprimis etiam est Hobbes. d. Cive, c. 15. §. 5. At enim neque hic evidens nexus inter potentiam alicuius, & obligationem in altero ad parendum ei ostendi potest. Vis quidem actu cum cogendi, ad iussa sib metu alicuius mali exequendo, inde fluit; quæ tamen cum facultate cum obligandi neutiquam confundenda est.